

tum logice ponendum; in *quarto*, quod est scientiæ visionis, spectatur decretum absolute positum actu, quia hoc signum dicit v. g. ergo dabo hoc auxilium. Ergo decretum ut ponendum, est in priori signo seu prius ratione, quam decretum ut actu existens; præsertim cum scientia media directa decretum divinum logice ponendum constituens sit quodammodo causa directiva decreti actualis; ergo et prius est cognoscibile, et a Deo cognoscitur.

Conf. Ideo divinum decretum prius est conditionate ponendum, quam actu existens, quia prior est scientia media directa ut logice possibilis et per modum conditionis importata, a qua decretum conditionate ponendum dependet et constituitur prius in ratione decreti conditionate ponendi, quam sit decretum actu existens: sed etiam prior est scientia media directa ut existens et purificans conditionem scientiæ mediæ reflexæ, a qua dependet et per quam constituitur decretum absolute ponendum antequam sit decretum actuale; ergo si in Deo prius sit decretum conditionate ponendum, quam actu existens, etiam prius est absolute ponendum, quam actu existens.

153. *Observe.* Ex dictis colligi potest, quinam circa res creatas contingentes a nobis admittatur scientiæ divinæ secundum diversa rationis signa ordo et series: nempe in *primo* signo Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit rerum possibilitatem; in *secundo* per scientiam mediam reflexam, quid ipse sub quacumque conditione esset factururus; in *tertio* per scientiam mediam directam, quid creaturæ sub conditione quacumque essent facturæ; in *quarto* per scientiam visionis Deus cognoscit res absolute futuras, præsentis et præteritis. Quod autem scientia media *reflexa* ordine præcedat mediam directam, ratio est prima, quia scientia media reflexa pro sua conditione habet scientiam mediam directam ut logice possibilem: cum igitur scientia media directa prius sit logice possibilis quam existens, etiam prius est scientia media reflexa, quam directa. Altera est, quia, antequam absolute verus est hic complexus ex scientia media directa et decreto, quo Deus v. g. dicit: quia video Petrum consensurum auxilio tali, si illud ei daretur, dabo ei tale auxilium: jam prius relucet hæc veritas conditionata: si viderem Petrum consensurum auxilio tali, illud ei darem. Postrema est, quia prius debet videre Deus actus proprios sub conditione futuros, quam actus extraneos et alienos; imo in illo signo, in quo jam actu datur scientia media directa, Deus non potest amplius per scientiam mediam reflexam dicere: si viderem, darem; sed debet per scientiam mediam directam dicere: sed video; et per scientiam visionis subungere: ergo dabo.

ARTICULUS III.

QUEMNAM USUM IN DEO HABEAT SCIENTIA MEDIA?

156. *Nota.* Præter propriam omniscientis perfectionem, quam Deo *præscientia* tribuit, eadem præsertim conduit ad titulum divinæ *providentiæ* tuendum. Est autem providentiæ præcipuum munus, singularum rerum et maxime creaturarum rationalium proprios intendere fines, et media

decernere, per quæ fines hujusmodi infallibiliter et ad earum naturas accommodate attingantur; hoc autem ut perfectissime fiat, tria omnino necessaria sunt: 1^o. requiritur, ut, dum aliquid Deus absolute decernit, etiam si media cum fine tantum contingenter juncta adhibeat, per ea norit finem certo et infallibiliter obtinendum, quia alioqui cæca foret providentia et operatio fortuita: 2^o. ut, dum infallibiliter decernit media et finem circa creaturas racionales, non lædat libertatem, sed totam ejus indifferentiam relinquat; cum alias accommodate ad illarum naturam non ageret: 3^o. ut, dum decernit medium seu auxilium gratiæ efficax, faciat speciale beneficium: dum autem inefficax decernit, non inferat maleficium; ut in abundantia ostendatur adesse favoris et dilectionis augmentum, in sufficientia vero abesse malignitas. An ad hæc præstanda non *utilis* duntaxat, sed et *necessaria* sit scientia media, hic quaeritur.

157. *Dico I.* Scientia media est necessaria ad decreta divina absoluta provide et sapienter formanda.

Prob. Ut Deus decernat sapienter circa finem et provide circa media ad finem conducentia, debet scire quinam modus agendi sit aptior ad finem assequendum, et quem eventum habitura sint media, quæ adhiberi possunt; quia omne agens propter finem nullam aliam regulam habet, quam considerationem futuri sub conditione, dicitque: si hoc medium elegero, hoc eveniet; si alterum sumpsero, eveniet aliud; quandoquidem alias imprudenter et cæco modo ageret. Sed hoc unice præstat per scientiam mediam; non enim ad hoc sufficit scientia *simplicis intelligentiæ*; cum per eam Deus quidem videat quid fieri possit, aut quod media possent obtinere talem finem, si voluntas libere consentiat, cum media maneant indifferentia; minime autem videt, quodnam futurum sit, an voluntas nempe consensura, et media ista sint efficaciam futura; cum hæc scientia respiciat tantum possibilita seu sub præcisa ratione possibilitatis; ergo.

Conf. Si ad formanda decreta Dei absoluta non esset necessaria scientia media, ergo quia sufficeret quod, supposita sola scientia possibilitatis, divina voluntas sit efficacissima; sed per hoc imprimis non intelligitur Deus agere provide et sapienter, utpote cujus intellectus non dirigeret voluntatem, sed pro ratione esset voluntas; quique non attenderet, quis modus agendi et quid natura cujuslibet rei magis conveniat: deinde vel ponitur voluntas Dei efficacissima per media necessaria et ad unum ex se determinata, vel per media indifferentia: si 1^{um}. ergo sicut cum ejusmodi mediis non potest stare libertas creata, sic nec voluntas efficax per illa potest sufficere ad formanda decreta absoluta circa actus liberos creaturæ: si 2^{um}. ergo voluntas etiam efficacissima potest esse fallibilis, utpote dependens a mediis indifferentibus, nec habebit infallibilitatem nisi immixtam scientiæ mediæ, vi cujus norit media illa, quantumvis indifferentia, certo tamen esse conjungenda cum fine.

158. *Dico II.* Scientia media est necessaria ad conciliandam libertatem cum efficaciam gratiæ et certitudine decretorum Dei, sive prædefiniens sive prædestinantis.

Prob. 1^a. p. Ut cum libertate voluntatis creatæ concilietur efficaciam gratiæ,
II. p. I.

requiritur 1^o. absoluta *infallibilitas* gratiæ efficacis; quia gratia efficax est medium, quod Deus adhibet ad obtinendum infallibiliter finem a se absolute intentum, adeoque ut sit proportionata, debet esse absolute infallibilis: 2^o. requiritur gratiæ intrinseca *repudiabilitas*; quia nisi gratia ex se ac intrinsece sit repudiabilis, non relinquit facultatem dissentiendi seu resistendi gratiæ; quam tamen ad salvandam libertatem voluntatis et consensus requiri aliunde supponimus. Hæc duo autem conciliantur imprimis per scientiam mediam, utpote per quam Deus summa infallibilitate novit voluntatis libere futurum esse consensum sub conditione, si præberetur gratia talis ex se repudiabilis: deinde conciliari nequeunt sine scientia media; nam ut gratia sit absolute infallibilis et simul intrinsece repudiabilis, necesse est, ut non sit absolute infallibilis a se seu ex natura sua, sed solum ab extrinseco; quia gratia absolute infallibilis *ab intrinseco*, est etiam intrinsece irrepudiabilis, cum intrinseca irrepudiabilitas oriatur ex sola intrinseca infallibilitate. Jam vero gratia nequit esse absolute infallibilis *ab extrinseco* sine scientia media; cum sic infallibilem esse nihil aliud sit, quam esse talem per denominationem extrinsecam petitam ab illa scientia, qua Deus summa infallibilitate præscit consensum voluntatis futurum esse sub conditione, si daretur hæc gratia quantumvis ex se repudiabilis; ergo.

Prob. 2^a. p. Ut cum libertate creata concilietur *certitudo* prædefinitionis ad actum salutarem et prædestinationis ad salutem electorum, requiritur: 1^o. infallibilitas tum prædefinitionis tum prædestinationis in obtinendo fine cuilibet proprio; 2^o. libertas voluntatis prædefinitorum, quæ stat in facultate expedita ad faciendum et non faciendum illum actum salutarem, vel etiam ad faciendum oppositum, et libertas voluntatis prædestinatorum, quæ stat in facultate expedita consentiendi et non consentiendi vocationi aut gratiæ efficaci habitæ. Hæc porro rursus conciliari per scientiam mediam, ex prioribus patet; sine ea autem conciliari non posse probatur: nam per prædefinitionem Deus absolute et efficaciter vult, ut actus salutaris liber et libere fiat: hoc autem sine scientia media velle non potest sapienter; cum sapienter non possit id velle, nisi ratione prius id sciat, se in sua potestate habere media in particulari, quibus actus salutares infallibiliter simul et libere fierent, si darentur, quod ipsum est id scire per scientiam mediam: per prædestinationem præparat beneficia, quibus certissime liberantur, ut ait Aug., quicumque liberantur, consequenter dat gratias absolute infallibiles, sed simul tamen ex se repudiabiles, ut in 1^a partis probatione est ostensum: hoc autem præstari non posse sine scientia media, ibidem declaravimus.

159. *Dico III.* Scientia media necessaria est ad declarandum *specialem favorem* et beneficium Dei, dantis gratias efficaces et negantis inefficaces prædestinatis.

Prob. 1^a. p. Specialis benevolentia, quam Deus exhibet prædestinatis præ reprobis dando gratias efficaces, stat in eo, quod conferat gratiam *quia et ut efficacem*; nec enim stat in hoc, quod conferat gratiam ut utilem; cum sic etiam reprobis conferat: nec quod conferat ut moraliter congruam; cum moralis congruitas gratiæ non reddat certissimam prædestinatorum salutem, ut tamen exigit S. Aug., prædestinationem vocans *præparationem beneficiorum Dei*, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur: nec quod

conferat præcise gratiam, ut sit efficax; cum hoc præstare nequeat per decretum seu intentionem efficacem, salva creaturæ libertate, sine prævia scientiæ mediæ directione; neque etiam per decretum duntaxat serium inefficax, quoniam et per hoc confert gratias reprobis: nec quod simpliciter conferat gratiam, quæ est in actu secundo efficax; cum licet in hoc Deus foret *materialiter* beneficus, non tamen *formaliter*: neque ita specialiter, ac est, si conferat, quia certo et infallibiliter gratia est efficax. Sed Deus nequit conferre gratiam *quia et ut efficacem* sine scientia media; quia gratia non est efficax et infallibilis ab intrinseco, sed ab extrinseco duntaxat; quod genus infallibilitatis sine scientia media non habetur; ergo.

Prob. 2^a. p. Sicut specialis est Dei benevolentia, quod conferat gratias efficaces prædestinatis, et hæc stat in eo, quod conferat illis has gratias *quia et ut efficaces*, sic et specialis est benevolentia, quod prædestinatis non conferat seu neget gratias inefficaces, et hæc stat in eo, quod illis has neget *quia et ut inefficaces*. Sed Deus nequit negare gratiam ut inefficacem sine scientia media, quia gratiæ sufficientis inefficacia similiter non est ab intrinseco, adeoque præsertim certa ejus inefficacia non nisi ope scientiæ mediæ cognosci, et consequenter a Deo negari prædestinatis potest; ergo.

160. *Dico IV.* Scientia media præcedens decretum Dei, dantis gratiam inefficacem aut negantis gratiam efficacem, non arguit aut facit, Deum esse *maleficum*.

Prob. Quando Deus confert auxilium utile et sufficiens ad effectum obtinendum, non est *maleficus*, licet prævideat, ex creaturæ propria culpa, illud non esse conjungendum cum effectu, aut neget vel non det aliud auxilium prævisum cum effectu conjungendum, si tantummodo illud detur non obstante auxilii inefficacia, et aliud negetur non obstante auxilii efficacia; quia sic in *primo* casu datur auxilium, quin inefficacia sit motivum illius conferendi, aut circumstantia objectiva vel conditio, sine qua non daretur: in *secundo* autem negatur auxilium aliud efficax prævisum, quin efficacia sit motivum illius negandi aut circumstantia objectiva vel conditio, sine qua non negaretur: alterutra enim ratione eveniente, Deus insidiaretur hominum salutem, et velut ex industria secerneret inefficax ad dandum, et efficax ad negandum. Sed scientia media, præcedens decretum Dei dantis gratiam inefficacem et negantis efficacem, non impedit quominus Deus conferat auxilium utile et sufficiens ad effectum obtinendum; et præstat tantum, ut illud detur non obstante auxilii inefficacia, et aliud negetur non obstante illius efficacia; cum non habeat se ut motivum vel circumstantia objectiva seu conditio superius exposita, nec in his casibus proprie dirigat, sed duntaxat præluceat; ergo.

161. *Nec dicas.* 1^o. Systemati scientiæ mediæ, secundum usus illos consideratæ, congruunt variæ notæ, quæ illud suspectum reddunt. Nam 1. Est *novum*; cum constet, illud esse primo a P. MOLINA inventum, et hic ipse de scientia media ambitiosius q. 23. a. 4. sic scribat: *Quæ si Augustini ætate nata et explorata fuisset, certe nec Pelagiana hæresis nata fuisset, nec Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare.* 2. Est nimis planum ac facile pro concordia libertatis cum gratia, præscientia et

prædestinatione; cum tamen S. AUG. L. 1. de Gr. Chr. c. 47. dicat: *Ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

R. D. A. Est novum novitate dogmatis et doctrinæ N. novitate methodi, qua antiqua doctrina exponitur C. Postremum vero adeo suspectum non est, ut hoc sit præcipuum Theologorum institutum, systemata ejusmodi exhibere, ex quibus obscuris Fidei nostræ mysteriis lux quædam accedat.

Ad prob. 1^{am}. R. MOLINA recte dicitur Inventor et Dux scientiæ mediæ, quatenus eam diligenti studio apud sanctos Patres his vel aliis terminis propositam observavit, ac ordinata methodo concinnatam exposuit; non autem, quod eam nullius ductu eruerit; cum plane fateatur nitaturque ostendere, illam a sanctis Patribus ac præsertim Aug. fuisse traditam et acceptam.

Ad prob. 2^{am}. R. Verba MOLINÆ genuina hæc sunt: *Nos pro nostra tenuitate rationem totam conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia et prædestinatione, quam toto articulo 13. q. 14. et art. 6. q. 19. q. 22. et tota hac quæstione tradidimus, sequentibus principiis, ex quibus eam deducimus, quæque variis locis tradidimus, inniti judicavimus: quæ si data explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, obtinentes cum gratia divina, præscientia et prædestinatione coherere non posse.* Ex quibus observo: 1^o. MOLINAM non de una scientia mediâ, ut imponit Gonet, et ex eo Le Blanc seu Hiacynth. Serry in Hist. Contr. de Aux., sed de allegatis ab ipso principiis et eorum coherencia, ordine ac methodo fuisse locutum: 2^o. Arrogantiæ notam a se satis removere, dum tenuitatis suæ mentionem facit, et modestiæ ergo particulam forte adhibet: 3^o. S. AUGUSTINO non inferre injuriam, cum ne ejus quidem nomen, quod falso inseruit Gonet, protulerit, et particula *semper* etiam tempora ante AUGUSTINUM ac *Pelagium* indicent: 4^o. Nec supponere AUGUSTINI sententiam fuisse aliam aut falsam; cum illa potuerit esse eadem, licet non eodem ordine et claritate prolata; item vera, licet ex ea, nempe non perinde ab omnibus intellecta, quidam errandi occasionem sumpserint.

Ad prob. 2^{am}. R. Facilitatis et lucis notam ad commendandum potius systema quodcumque pertinere, constat ex proxime dictis. Cæterum nec in systemate scientiæ mediæ desunt *difficultates*, quas copiose objiciunt adversarii, sive recentiores hæretici sive Thomistæ; nec per eam sublata sunt illæ, quas *Pelagiani* moverunt contra necessitatem gratiæ et prædestinationis gratuitatem, ut a S. AUGUSTINO, sic et a nobis assertam: nec denique S. Doctor concordiam supponit explicatu impossibilem, cum L. 4. cont. Julian. c. 8. n. 17. dicat: *Ego enim dixi, istam quæstionem ad discernendum esse difficilem: non autem dixi, non posse discerni.*

162. Nec dicas 2^o. Systema hoc diversum est a systemate S. Aug., quo conciliare is libertatem cum gratia studuit. Nam 1. nullibi recurrit is ad scientiam mediâ pro illa concordia, sed ad omnipotentiam Dei, vires efficacissimas gratiæ, et latens Dei consilium: 2. contra systema S. Aug. motæ

sunt a *Pelagianis* querelæ, quod de medio tolleret libertatem, fatumque ac coactionem induceret; quæ tamen, supposito scientiæ mediæ systemate, non nisi ridicule proponi potuissent.

R. N. prob. 1^{am}. Quod enim scientiæ mediæ rectum usum commendavit, patet ex pluribus locis, ubi gratiam congruam asserit, et per præscientiam explicat: in commendatione autem divinæ omnipotentis et virium gratiæ efficacissimarum nihil nobis eadem commendantibus adversum dixit; præsertim cum nec asserat omnipotentiam cæcam nec vires gratiæ tales, quibus resisti nequeat, ut ab intrinseco efficaces: ad latens denique Dei consilium in omni catholica prædestinationis expositione recurritur. His adde, quod quamvis S. Aug. recte probaverit cum humana libertate certitudinem prædestinationis et gratiæ efficaciam componi, tamen illi nec necessitas nec occasio nec otium fuerit, hujus concordie modum contra recentiores hæreticos exponendi. Nam *Manichæi* negabant liberum arbitrium non propter gratiæ necessitatem aut infallibilitatem, sed propter duarum in uno homine animarum luctam et alternam victoriam, quæ necessitatem quoque alternantem inferret: *Pelagiani* ab Aug. libertatem negari putabant, quod gratiam ad omne opus necessariam prædicaret; unde inferebant hominem liberum esse non posse ad suammet salutem operandam, si alieno ac debito auxilio præveniri et adjuvari necesse foret: *Lutherani* vero errore olim non ita vulgato nunc contendunt negatam a S. Doctore libertatem, quia putant ab eo non solum requiri gratiam tanquam ad salutem necessariam, sed talem, cui resisti, et quacum proin libertas conciliari nequeat.

Idem quidem obmoverunt unus vel alter Monachus Adrumetinus, et sub extrema tempora nonnulli *Massilienses*: Sed priores quidem, misso ad se Libro de grat. et lib. arbit. correctâ falsa persuasionem, omnino quieverunt; posterioribus vero Aug. satisfacit libris duobus, uno de prædest. Sanctorum, altero de dono persev., in quibus quid sibi agendum putaverit, declarat sub primi finem (c. 21.) ita scribens: *Institimus, quantum potuimus, ut etiam ipsum initium fidei donum Dei esse ostenderemus... fateantur nos fecisse, quod fecimus, id est, etiam initium fidei, sicut continentiam, patientiam, justitiam, pietatem et cætera, de quibus cum his nulla contentio est, donum Dei esse docuisse;* quibus similia habet in c. 17. n. 41. 42. libri alterius: unde constat necessitatem et occasionem non fuisse S. Aug., cum explicasset ea, quæ fidei erant, cætera, quæ credenda non fuerant, et inter hæc modum rationemque, qua Dei dona, præscientia et prædestinatio, cum libertate arbitrii conveniant, uberius subtiliusque persequi; præsertim cum post hæc nullæ *Massiliensium* de libertatis eversione objectiones perlatae ad Aug. legantur, et ipse, in diversissima distractus, nec dictatos libros semel relegere posset, ut idem in epist. ad *Marcellinum* testatur.

Ad prob. 2^{am}. R. Supposito etiam systemate nostro, illa *Pelagianorum* objectio, quamvis reipsa invalida sit ac nullius momenti, locum habet, cum desumpta sit ex necessitate gratiæ nullo naturali merito obtinibilis, quam systema illud etiam omnino statuit ac supponit.

163. Nec dicas 3^o. Idem convenire videtur cum systemate *Semipelagianorum*; 1. quia inventum est ad eundem finem, nempe ad conciliandam libertatem cum efficacia gratiæ et prædestinatione; 2. quia habet eundem

effectum; cum nimium tribuat libero arbitrio in negotio gratiæ et salutis, et prædestinationem ad gratiam non relinquat gratuitam.

R. N. A. et prob. 1^{am}. Nam *Semipelagiani* nec gratiam nec prædestinationem admittebant ad initium fidei, quod non secus ac *Pelagiani* putarent iis tolli libertatem; unde scientia media non utebantur ad concordiam declarandam inter libertatem et gratiam ac divina prædefinitionis aut prædestinationis decreta. Utebantur itaque hac scientia non tam media quam absoluta, et meritorum quidem naturalium, ut imprimis assignarent motivum et rationem cur Deus unum præ altero ad fidem vocet, vel ad salutem eligat; ubi nos nullum motivum ex parte hominis agnoscimus, sed cum Apostolo ad gratuitam Dei voluntatem et inscrutabilia Dei judicia confugimus: deinde ut declararent, Deum non esse acceptorem personarum; quam notam a Deo penitus removet gratuitas gratiæ et absolutum Dei in dona sua plane indubitata dominium.

Ad prob. 2^{am}. N. utr. p. Nam in systemate nostro nihil tribuimus libero arbitrio, nisi quod ipsi adversarii citra hæresin negare nequeunt; nempe veram prævenienti gratiæ resistendi et parendi potestatem, determinationemque liberam ad bonum, a Tridentino assertam et a Catholicis omnibus admissam. In eodem prædestinatio tota est ex Dei voluntate libera et misericordi; tum quia Deus per scientiam mediam non explorat nostram voluntatem tanquam causam, regulam, aut motivum, quo Deus certo determinetur ad gratiam concedendam: tum quia licet scientia media præluceat, et etiam nostro concipiendi modo dirigat prius Deum, quam absolute quid statuat circa liberas nostras actiones, aut gratiam dare decernat; tamen sepe dat gratiam inefficacem non obstante ejus inefficacia, et non dat efficacem non obstante gratiæ efficaciæ prævisa.

ARTICULUS IV.

QUENAM SCIENTIA DEI SIT CAUSA RERUM?

164. Nota. Scientiam Dei esse causam creaturarum seu rerum a Deo aliquando existentium, constat tum ex Scriptura, in qua Sap. 7. 2. *Sapientia omnium artifex*, et Ps. 103. 24. *Deus omnia in sapientia fecisse* dicitur: tum ex ratione, ex qua manifestum est, Deum esse agens rationale perfectissimum. An ea directiva duntaxat sit, an vero simul efficiens, cum TERTUL. in Apolog. c. 17. potius sentiendum, qui inter formalitates Dei sic distinguit: *totam molem istam, cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua poluit, de nihilo expressit*. Sed gravior controversia est, cuinam scientiæ divinæ hoc munus tribuendum sit, maxime circa effectus nobis liberos? propterea quod ex ea dependeat conciliatio præscientiæ divinæ cum nostra libertate. Thomistæ recentiores pro causa proxima directiva et effectiva hujusmodi objecti assignant scientiam visionis; non quidem quatenus præcise est visio sui objecti, quia sic speculativa est, sed quatenus est scientia approbationis, applicata per decretum efficax, vel quatenus est imperium intellectuale, posterius quidem decreto efficaci intentivo et electivo, prius vero usu activo et decreto executivo: ad quod persuadendum tria probanda suscipiunt: 1^{um}. scien-

tiam visionis de objecto nobis libero non determinari ab ipso objecto, nec esse illo posteriorem: 2^{um}. ideo effectus nobis liberos esse futuros, quia Deus illos videt; non autem e contrario: 3^{um}. Deum non posse decernere existentiam hujusmodi effectuum, nisi eam absolute prævideat. His opposita est unanimes Nostrorum sententia. Nempe scientiam divinam, quoad operationes extra Deum, esse practicam per modum artis, adeoque 1^o. non nisi ut causam directivam admittimus: quia vero idea divina formalis habet rationem artificialis directionis, et, ut cognitio repræsentans essentiam, proprietatem aliasque affectiones rerum possibilium, est ipsissima scientia simplicis intelligentiæ: sequitur 2^o. hanc maxime scientiam pro causa rerum statuendam: cum porro pro decretis divinis rite formandis et cum libertate humana conciliandis requiratur scientia media directrix, illa vero sive ratione effectuum, sive ratione perfectionis divinæ, necessaria sit ad actus nostros maxime salutes; hæc quoque scientia 3^o. dici potest suo modo causa eorum actuum directiva. Itaque

165. Dico. Scientia divina visionis de effectu nobis libero, non est causa sive directiva sive effectiva ejusdem effectus. Dico: *ejusdem effectus*; scientiam enim visionis de uno objecto v. g. meritis, posse aliquo modo esse causam alterius objecti et dirigere ejus decretum v. g. conferendi gloriam ut coronam, ex dicendis alibi constat.

Prob. Si scientia visionis effectus nobis liberi, esset istius causa directiva vel effectiva, ergo ideo ejusmodi effectus esset futurus quia Deus eum futurum videt; non autem ideo cum præviderat, quia is est futurus: sed hoc esse falsum ostenditur 1^o. ex PATRIBUS; inter quos ORIGEN. in c. 8. ep. ad Rom. v. 28. (opp. t. 4. part. 1^a. p. 603. col. 1. C.) inquit: *Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, scitur a Deo, antequam fiat*. EUSEB. L. 6. Præp. Evang. c. 11. p. 288. A. *Neque enim idcirco fit, quod futurum esse cognoscatur; sed quod futurum sit, idcirco futurum esse cognoscitur*. CHRYSOST. hom. 60. in Matth. (al. 59. n. 1. opp. t. 7. p. 594. C.) *Non quia futura scandala prædixit, ideo evenient; sed quoniam omnino ventura erant, idcirco prædixit*. HIER. in c. 26. Jerem. v. 1. *Non ex eo, quod Deus scit aliquid futurum, idcirco futurum est; sed quia futurum est, Deus novit quasi præsciens futurorum*. 2^o. Ex ratione lædendæ alias libertatis creatæ; quia si consensus v. g. ideo est futurus, quoniam prævidetur ab æterno, voluntas imprimis, antecedenter ad scientiam visionis de consensu tanquam causam per se consensus, non posset pro libitu consentire; consequenter nec libere dissentire; quia potentia libera debet esse ad duo extrema: deinde nec in sensu composito visionis de consensu posset dissentire, ut adversarii fatentur: denique nec in sensu diviso; quia voluntatem posse dissentire in sensu diviso visionis de consensu, est posse se dividere a scientia visionis de consensu, ut rursus ab adversariis datur; ergo. 3^o. Ex ratione lædendæ alias sanctitatis divinæ, quia similiter dicenda essent peccata futura, quia Deus ea scientia visionis prævidit h. e. ex decreto absoluto, de illis facto, ea vidit scientia approbationis et per modum imperantis.

Conf. I. Si scientia visionis foret causa rerum, ergo scientia visionis non foret posterior suo objecto, nec hoc illam aliquo modo determinaret: sed hoc falsum esse rursus ostenditur 1^o. ex PATRIBUS, inter quos EUSEB. l. c. hæc